

Si quis ad declinandam legem Falcidiam, cum desiderat totam suam substantiam pro redemptione captivorum relinquere, eos ipsos captivos scripserit heredes, ne videatur quasi incertis personis heredibus institutis iudicium suum oppugnandum reliquisse, sancimus huius talem institutionem pietatis intuitu valere et non esse respuesdam.

1 ¶ Sed et si pauperes quidam scripserit heredes et non inveniatur certum ptochium vel certae ecclesiae pauperes, de quibus testator cogitaverit, sed sic incerto vocabulo pauperes fuerint heredes instituti, simili modo et huiusmodi institutionem valere decernimus.

2 ¶ Et si quidem captivos scripserit heredes, civitatis, in qua testator larem fovere ac degere noscitur, episcopus et oeconomus hereditatem suscipiant et omnimodo in redemptione captivorum procedat hereditas sive per annuos redditus sive per venditionem mobilium seu se moventium rerum: nullo penitus ex hoc lucro vel oeconomus vel episcopo vel sacrosanctae ecclesiae relinquendo. si enim propter hoc a speciali herede recessum est, ut non Falcidiae ratio inducatur, quomodo ferendum est hoc, quod in sacro venit, per Falcidiam vel aliam occasionem minui?

3 ¶ Ubi autem indiscrete pauperes scripti sunt heredes, ibi xenonem eius civitatis omnimodo hereditatem nancisci et per xenodochum in aegrotantes fieri patrimonii distributionem, secundum quod in captivis constituimus: vel per reddituum annuorum erogationem vel per venditionem rerum mobilium vel se moventium, ut ex his res immobiles comparentur et annuis victus aegrotantibus accedat. quis enim pauperior est hominibus, qui et inopia tenti sunt et in xenonem repositi et suis corporibus laborantes necessarium victum sibi non possunt adferre?

4 ¶ Licentia omnimodo danda et in priore et in secunda specie et actionem movere et debita exi exigere, ut in captivos vel in aegrotantes consumantur. si enim heredum eis et ius et nomen dedimus, sine Falcidiae tamen legis emolumento, necesse est eos et debita exigere et creditoribus respondere.

5 ¶ Sin autem ampliores in civitate xenones vel ptochia sint, ne incerta videatur pecuniarum datio, tunc ei xenoni vel ptochio, qui pauperior esse dignoscitur, easdem res vel pecunias adsignari: hoc videlicet

discutiendo a viro reverentissimo locorum antistite
et sub eo constitutis clericis.

6 ¶ Sin autem nullus xenon in civitate inveniatur,
tunc secundum de captivis
sanctionem pro tempore oeconomus sacrosanctae
ecclesiae vel episcopus hereditatem accipiat et
sine Falcidiae ratione pauperibus, qui in civitate
sunt vel penitus mendicantes vel alia sustentatione
egentes, eadem pecuniae distribuantur.

7 ¶ Haec tamen omnia locum habere
sancimus, quando non
certi xenonis vel certi ptochii vel certae ecclesiae
nominatio a testatore subsecuta est, sed incertus
est eius sensus. sin autem in personam certam vel
in certam venerabilem domum respexit, ei tantummodo
hereditatem vel legatum competere sancimus,
nulla Falcidia nec in hac parte intercedente.

8 ¶ In omnibus autem huiusmodi casibus caelestes iracundias
sacrosanctarum rerum administratores expectent,
si quaecumque lucrum ex huiusmodi gubernationibus
sibi adquisierint vel si hoc committi ab alio
senserint et non gravissima poena et interminatione
quod perperam factum est studeant corrigere.

D. Xk. Sept. Constantinopoli post consulatum Lampadii et Orestis vv. cc. [a. 531]